ſericordiæ & iudicijs Dei de me. Itaq; qui ingemiſco miſerum me, quis me abſoluet de cuſtodia hac mortis? Idẽ, verbis eiuſdem Apoſtoli gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum. Vale.

Viues Hon. Ioannio ſuo S.

Amicitia confirmatio

QVærimonia illa tua, ὦ τῷ θυμῷ ἐμῷ κεχαριτωμένε φίλε, ipſa quidem per ſe grata fuit mihi, non ſecus atque ex dulciſsimo fonte hauſta aqua: quippè proficiſcebatur ex pectore quodam immodico penè amoris erga me redundante, & parum ſibi ſatisfaciente, quòd non ſatisfacere ſe amico ſuſpicaretur. Sed doleo me, vel quòd properans atq; aliud agens ſcripſerim, vel quòd minus existimarẽ dicere, quã dixerim, aliquẽ in animo tuo affectum cõturbaſſe. Nã ego quum te à dandis ad me literis retardatum ſcriberem, magis de virgineo iſto pudore ſentiebam, quã de vlla penitus animi incenſione. Quam quum